

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

Ioanni Friderico Io. F. Duci Saxoniae, Misniae Marchi-

oni &c. Electori imperiali, Domino suo clementiss.

Ioannes Schonerus Caroloftadius S. D.



INTER plurima & speciosiss. decora, quorum unà cum imperio quasi hæreditatem adijsti Illustriss. Princeps, præcipuum mea, quidem est sententia, tibiq; in primis gloriosum, quòd in tuendis & fouendis bonarum artium studijs, hoc necessario illarum tempore, non modo patris patriq; tui clariss. Domns Saxonicae luminum repræsen-

tes, sed longe etiam superes. Quod tamen me, ut opinor, modestius prædicare conuenit, quo minus fidei testimonio meo deberi posse uideatur; quoniam & quæ ipse modo intelligam, & in quibus tempus uitamq; meam contriuerim, magnipendam; Sed enim non prætermittre fas fuerit, mentionem laudis & meritorum tuorum, quicquid sanè dicant sentiantq; contemptores literarum, præsertim cū hæc siue opinio siue ratio illarum dignitatis & nominis facile se contra omnem maledicentiam aduersariorum tueatur. Laborat profecto hæc caussa temporum hominumq; uitio, Non tamen ideo reticebimus tuam hac in parte tam memorabilem & planè Heroicam uirtutem, qui omnium ferè mortalium ope subducta literarum cœlesti et diuino bono, ipse tamen fulcis sustinesq;, quasi Hercules succedens in hoc onere ferendo patri tuo singulari principi, qui sempiterna digno memoria à fratre idem munus exceperat. Sit ergo hoc sanè meum domesticum testimoniū laudis tuæ. Ego tamen mecumq; omnes eruditi inuenient, quomodo tueantur, præsertim cū perspicuum sit, te hoc ipso delectari. Quod eo certius splendidiusq; probas, quo plura extant honorifica facta & beneficia tua erga literarum studiosos, quoq; diligentius curas fatali uulnere neglectus saucias artes, nec minus præclariss. de te opinionem doctorum rerum summa potius uiceris, q̄ ante te in locum fratris transgressus Illustriss. princeps pater tuus. Si quid igitur adhuc habent uirium literæ, cognoscentur uestra nomina, non modo auita generositate, & alijs rebus fortiter domi forisq; gestis, quæ uestris maioribus celebritatem pepererunt famæ, sed uel præcipuum hoc decus in posteritate uestram memoriam illustrabit, quòd ruentibus bonis artibus soli in Germania manum suppsueritis, & afflictas auxilio consolati non passi fueritis, animū, ut sic dicam, despondere. Prædicabunt hoc multi, multoq; melius q̄ ego possim, sed tamen inter illorum ingentias non debet à uobis mea, tanq; unius